

NOTITIA DIPLOMATICA

IN EPISTOLAS GELASII II.

(Philippus JAFFÉ, *Regesta pontificum Romanorum*, pag. 522.)

† In Gelasii bullis solent hæc verba addi : **Ego GELASIUS ECCLESIE CATHOLICÆ EPISCOPUS, SIGNUM MANCE
NE : DEUS (al. DOMINUS) IN LOCO SANCTO SUO (5, 8, 10, 13, 15, 16, 17, 19, 20, 23, 26, 27, 28).**

Subscripserunt : ep. Ostiensis *Lambertus* inde a d. 21 Mart. 1118.

- › Portuensis *Petrus*
- › Sabinensis *Crescentius*

presb. card. tit. apostolorum. *Hugo* inde a d. 21 Mart. 1118.

- › › › S. Balbinæ. *Guido*
- › › › S. Laurentii in Damaso. *Deusdedit*
- › › › S. Susannæ. *Petrus* inde a d. 21 Mart. 1118.

diac. card. S. Adriani. *Petrus*

- › › SS. Cosmæ et Damiani. . *Petrus*
- › › S. Georgii. *Rossemannus*
- › › S. Mariæ (in Via Lata). . . *Romualdus*
- › › S. Mariæ in Aquiro. *Comes*

subdiaconus cardinalis et abbas S. Laurentii foris muros *Amicho* die

26 Sept. 1118.

Datæ bullæ sunt p. m. *Chrysogoni* S. R. E. diaconi cardinalis.

Que recte corrigitur a Baronio, substituente men-
sem Aprilis.

Alphonsus Ciacconius, cardinalium quotquot po-
tuit nomina primus aggressus colligere sub suo quæ-
que pontificatu ; incipit in hoc Gelasio, distincte
enumerare eos, qui cujusque pontificis electioni in-
terfuerunt, eo quo a decessorum aliquo creati sunt
ordine ; primum episcopos, deinde presbyteros,
tertio diaconos. Sed per prolepsim intelligendus est
hic auctor episcopis concedere jus electionis, et eos
cardinalibus adnumerare : cum neutrum illis hac
estate competere, ut intelligitur primo ex hujus
ipsius pontificis Vita, valde expresse hoc testante :
deinde ex epistola Petri Portuensis episcopi ad epi-
scopos quatuor Innocentianæ partis contra Anacle-
tum, ubi quod circa pontificem officium sit epis-
coporum suffraganeorum Romanæ sedis iisdem fere,
quibus hic Petrus, verbis explicat, cum ait : *Nec
restrum, sicuti nec meum, fuit eligere; sed potius
electum a fratribus (cardinalibus scilicet) approbare.*
Atque ita in epistola quam ad sui justificationem di-
rexerunt Lothario Romanorum regi fratres qui Ro-
manæ sunt, primum nomina sua scribunt cardinales
presbyteri et diacones universim viginti quinque,
deinde Petrus Senex Portuensis episcopus..... cum
reliquis Romanæ Ecclesiæ suffraganeis, subdiaconi
omnes, primicerius cum omni schola cantorum, Pe-
trus basilicæ Salvatoris, quæ appellatur Constanti-
niana, archipresbyter..... cum reliquis Romanæ
Ecclesiæ archipresbyteris, et cum omni clero Ro-
mano, Anastasius abbas S. Pauli..... cum reliqui

A abbatibus. Ubi videt accurate servatum cuiusque ordinem, quoad electiones : nam in subscriptionibus synodalibus, et pontificiorum privilegiorum sub-signationibus, videas semper priori loco nomina episcoporum, utpote in sublimiori gradu positorum, deinde cardinalium : et hunc ordinem etiam tenet Petrus eos recensens, qui ad hanc electionem con-
venierunt.

Hic vero addiderim ex *Italico itinere Mabilianis*, pag. 147, prædictos pontificis Romani suffraganeos, aut eorum saltem duos, media ætate vocatos epi-
scopos Urbis, ut qui in sui tituli civitate vix un-
quam, in Romana semper residebant, tanquam epi-
scopi (ut nunc appellantur) vicarii. Id autem eruit
ille ex hac inscriptione, Romæ in ecclesia S. Mariæ
de Capella, olim ad Pineam dicta, anno Dom. 1090,
ind. XIII, mense Mart., die 25, dedicata est hæc ec-
clesia S. Mariæ quæ appellatur ad Pineam, per epi-
scopos Urbis, id est V. (Ughello, Ubaldum) Sav-
nensem et Joannem Tuscanum, tempore D. Ur-
bani II papæ, in qua sunt reliquiae, etc. Atque
ita idem Mabilio notat ex chartario Farfensi, quod
Dodo, episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, dedit
libras quinque pro rebus post mortem, mense Octo-
bri, temporibus Benedicti VIII, id est intra an-
num 1011 et 1004 eumque putat etiam fuisse Sabi-
nensem Ughello præteritum, qui proinde fuisse suc-
cessor Rainerii anno 1003 ex Chronicō Farfensi.
Denique aliud diploma sibi visum ait, ubi iidem vo-
cantur Romani episcopi.